

www.e-rara.ch

Johannis Prideaux Opera theologica quae latinè extant omnia

Prideaux, John

Tiguri, 1672

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-13503>

Praefatio.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

J. HENRICI HEIDEGGERI

PRÆFATIO,

Qua laudato Opere, & dissensu à nonnullis assertionibus testato, Anglicana & Tigurina Ecclesia, qua Superiori inprimis Seculo summa urrinque intercessit, necessitudo paucis edisseritur.



Uæ hætenus seorsim excusa, & Anglorum potius quàm Cismarinotum oculis animisque lustrata & usurpata erant, JOHANNIS PRIDEAUX Theologi Angli Celeberrimi, Opera Theologica, ea nunc unum in volumen congesta in lucem publicam, Tuúmque adeò, *Benevole & pie Lector*, conspectum pròdeunt. Quæ me ratio impulerit, ut Typographo Viro honestissimo Optimoque, juvandæ Reipublicæ literariæ officia sua liberaliter offerenti, meúmque adeò etiam consilium flagitanti, author & sutor fuerim, ut Opus hoc verè Illustre typis publicis exscribendum susciperet, pluribus commemorare haud attinet. Res ipsa oculis fidelibus subjecta instituti nostri rationem nullo negotio pandet. Quisquis enim evolvendo præclaro huic Operi bonas horas impendere haud gravabitur, non carbones ille, sed pretiosissimos uniones & margaritas, non verba *αέ εγε εις κενόν δεροντα*, sed acriter ferientia & flexamina obvia habebit & exosculabitur. Certant ubique cum rerum momentis & apicibus summis verba *τα λαντανα*, schemata sermonis inusitata, quæ & suavissimè Lectoris animos demulcent, & potenter convincunt, instruunt & ædificant. Habent omnino laudatissimæ hujus gentis ingenia ad frugem pervenientia eximium sibi aliquid pulchrumque *καί ενθεον*, quo nativam reliquarum gentium indolem & *αρχινοιαν* multis parasangis & Regio veluti cubito antecellunt. Sicut enim qui gemmas aurúmque quærunt, non leviter summam terræ cutem stringunt, sed in viscera ejus penetrant & sese immergunt: Sic Divinus ille acris vividique ingenij, quod illis Divino munere singularique gratia obtigit, vigor veram mansurámque doctrinam altissimè indagans, haud quaquam in extrema superficie & rerum corticibus obhærescit & stupet, sed altissimè se immitit, & quæ alijs etiam haud proletarijs ingenijs pœnè *αδουτα* sunt, illi feliciter evolvunt & extricant. Atque entheam hanc animi vim in hoc præ cæteris Authore deprehendet, qui lucubrationes Ejus vel primoribus labris degustare animum induxerit. Sed malo rem ipsam perhibere authorem, & judicij mei fidem integritatémque lectoris arbitrio relinquere, quam languido præconio quidquam de Viri tanti laudibus delibare ac decerpere. Unum tamen omittere haud possum, quod Præfatiunculæ necessitatem animo etiam invito & reluctanti injunxit. Periculum nempe aliquod, vel certè bonæ causæ præjudicium subesse videri poterat, si quæ

P R Æ F A T I O.

in hoc Libro vel minùs placere plerisque, vel certè Ecclesiæ Tigurinæ, ex cujus nunc urbe in lucem hoc Opus editur, sègniter hæctenus probari constat, intacta omnino, nullòque dissentientis animi indicio notata prætermittentur. Fatemur autem, pleraque omnia, quæ hocce in volumine comprehenduntur, ita comparata esse, ut puritatis Orthodoxæ omnes numeros impleant. Cæterum ut flamma firmior nunquam sine fumo surgit: ita clarissimam subinde Virorum doctissimorum, ipsiusq; Soils æmulam lucem tenuis nubecula infuscare solet. Atque id ipsum etiam Celeberrimo huic Authori accidit. Côm memorabo autem ea, quæ minùs à nobis probantur, non ullo vel obtrictandi vel oppugnandi, sed defensum duntaxat modestè testificandi studio. In Lèctionibus Theologicis decima punctorum Hebraicorum originem disceptat. Videri queat argumentum isthoc exigui momenti, atque ejusmodi, ut ad Philologica subsellia detrudi simpliciter mereatur. Verùm rem totam pensiculiùs trutinanti abundè liquebit, & fontium integritatem, & planam indubitatàmque Scripturæ intelligentiam anceps in periculum adduci, si, quod Author argumentis nonnullis stabilire contendit, Puncta Hebraica non quidem quoad sonum, valorem aut munus, sed quoad characteres ipsos ejusdem cum consonantibus antiquitatis esse negentur, asseratùrque, ea potius esse recentius aliquod inventum, à Viris Synagogæ M. inchoatum, à Massorethis successoribus continuatum, & à Tiberiensibus completum. Cùmque per hæcæ lineas contentiois ferram reciprocârnt Viri Doctissimi Buxtorfius & Capellus, illius sententia utpote & tutior ad tuendam *γνησιότης* fontium, & aptior ad assequendam promptiùs intelligentiam Scripturæ, & validis etiam rationibus confirmatior, hujus Authori nostro secundas facientis opinioni apud nos quidem plurimum præpollet. Quæ verò contra punctorum cum consonantibus coævam antiquitatem argumenta non exigua similiudine veri Author hic loco cit. protulit, ea à Buxtorfio eodem Antiquitatum Hebraicarum urinatoresolertissimo, in Anticritica alibique, feliciter discussa reperias. Ex Fasciculo Controversiarum Cl. Maresius quatuor quæstiones excerpfit, quas ab Authore præter Ecclesiarum etiam nostrarum sententiam decisas, ad judicij sui trutinam quatuor editis in vulgus Disputationibus, puta *de Episcopatus Origine & Jurisdictione, de Matrimony dissolubilitate quoad vinculum, de Clericorum jurisdictione temporali, & de Mundi annihilatione totali in die judicij*; eruditè revocavit. Non piguit easdem, utpote quibus calculum nostrum ultro adjungimus, Operi huic subjicere, ut ex rationum mutua contentione conflictùque veritas clariùs emicet. An Liturgia Anglicana sacris literis conformis per omnia sit, quod pag. 656. &c. pertenditur, suo loco relinquimus. Habet quælibet Ecclesia ritus peculiare, qui quò propiùs ad Apostolicam simplicitatem & *εὐαγγελισμὸν ἡν καὶ ἐν ἁγίαις* accedunt, hoc majori in pretio habendi sunt. Multa etiam tolerari constat, quæ non probantur omnibus, quæque sine graviore periculo mutari nequeunt. Quomodo in formosa facie rectiùs nævus aliquis relinquitur, quàm cum graviore faciei periculo tollitur. Pauca hæc admonenda duxi, ne Editio Operis hujus hoc quidem in loco receptæ sententiæ quidquam præjudi-

P R Æ F A T I O.

cet. Interea vel tantillum pretio & gloria præstantissimi hujus Operis detractum detritumque nolim. Estque etiam illud tantò nobis gratius acceptiusque, quantò Authorem, cum adhuc lucis hujus usura frueretur, addictiorem genti nostræ, ac inprimis Tigurinæ Ecclesiæ fuisse constat. Quod inter alia etiam liquere potest luculento testimonio venerandi Theologi nostri hodie cœlitis D. RODOLPHI STUCKII, per quem plurimum Deus Ecclesiæ & Scholæ nostræ benedixit, quique in Collegio Oxoniensi & contubernio ipsius Authoris, maximam expertus eius erga se benevolentiam, postea nimirum 20. Februar. 1629. communicatæ secum hospitalis tesseræ publicum documentum extare cupiens, ei PETRI MARTYRIS, qui illam ipsam, quam Author hic, Professionem Regiam sacrarum literarum EDUARDI VI. Regis sanctissimi tempore summa cum laude obtinuerat, Commentarium in Lamentationes Jeremiæ inscripsit. Neque etiam omittere hoc loco, & occasione non rapta sed nata possum, quanta superiori seculo Ecclesiæ Anglicanæ, quamprimum ex Pontificiarum tenebrarum Regno ad Evangelicæ lucis splendorem per Dei gratiam emerfit, cum Tigurina consuetudo & necessitudo intercesserit. Constat enim, HENRICUM BULLINGERUM, Ecclesiæ nostræ Reformatorem, meumque etiam *ἑταῖρον* Atavum, cuius memoria æternum vigeat, jam HENRICI VIII. tempore arctam cum Anglis nonnullis amicitiam coluisse, & purioris religionis semina ex Dei Verbo illis instillasse. Postquam enim Rex Henricus Papæ jugum excussit, Anglorum studia ad complectendam puriorem doctrinam, quæ pridem illis illuxerat, magis atque magis accensa sunt. Proinde circa ea tempora aliquot Angli Nobiles Tigurum venerunt, qui Bullingeri hospitio usi sunt, & de præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, deque Ecclesiæ ritibus & ceremonijs ejus sententiam diligenter perquisiverunt. Iidem authores Bullingero fuerunt, ut aliquid Regi suo & scriberet & inscriberet de Scriptura & Episcopis, utpote de quibus plurima in Anglia disceptatio sit, quòd ita Rex in instituto Ecclesiæ suæ reformandæ confirmari possit. Quorum quidem petitioni, uti vir facilis fuit & captandarum occasionum, quibus Evangelium propagari possit, cupidissimus, morem ultro gessit. Nam Anno 1538. scripsit ad Henricum Regem libros duos. Primum de S. Scripturæ auctoritate, certitudine, firmitate & absoluta perfectione. Secundum de Episcoporum, qui Verbi Divini Ministri sunt, institutione & functione, contra superstitionis & tyrannidis Romanæ Antistites. De eo libro Regi inscripto extat in Archivis nostris Epistola MS. Nicolai Elioti, sequente anno ad Bullingerum exarata, in qua inter alia hæc verba extant: *Unum hoc scito esse verissimum, libros Tuos Regi nostro, nec minus D. Thoma Cronvello, qui est Regi à privati sigilli custodia, & Ecclesia Anglicana vicarius generalis, MIRABILITER gratos esse.* Alia multa eam in rem subjungit. Ac de eodem libro ipse Bullingerus Præfatione in Decad. III. ad Eduardum Regem ita ait: *Eum librum in Anglia nonnullum protulisse fructum saluarem, expertum se esse.* Mortuo Henrico Rege EDUARDUS ejus filius de consilio Tutorum, ac inprimis Eduardi Ducis Som-
 mer-

PRÆFATIO.

merletensis avunculi, ac Thomæ Crammeri Cantuariensis Archiepiscopi, & totius Angliæ Primatis, Pontificia religione abolita, Ecclesias juxta Verbum Dei reformare statuit. Non parum sanctum institutum Bullingerus & adjuvit & provexit. Etenim Johannes Hoperus, postea factus VVigorniensis & Gloucestriensis Episcopus, & fortissimus Callinicus ac Jesu Christi Martyr, qui Anno 1547. Tigurum venit cum uxore, & cum Bullingero familiaritate maxima de omnibus religionis capitibus contulit, postea factus redux in Anglia publicè Bullingeri, Bibliandri & Gualtheri scripta prælegit, uti propria manu ad Bullingerum testatus est. Extant enim in Scrinijs nostris frequentes Epistolæ ejus manu ad Bullingerum aliòsque exaratae, imò & emortuales literæ pridie illius diei, quo crudelissimum supplicium subivit, ex carcere scriptæ. Cùmque Lutheri de Christi in Cœna Domini corporali præsentia opinio plures jam in Anglia afflasset, constat gloriosissimum hunc Martyrem Hoperum à Bullingero ex Dei Verbo ita institutum acriter se opposuisse, uti tum ipse, tum Burcherus literis ad eundem Bullingerum datis testificati sunt. Testis ejus rei locuples etiam est ejusdem Hoperi aureus de sacra Domini Cœna, ad excelsam Parlamenti curiam Anglicanam ex carcere scriptus, & à Foxo pag. 309. &c. descriptus liber. Anno 1550. Bullingerus instinctu undiquaque doctissimorum & piissimorum virorum Roberti Scinneri, & Andreae Vulloki, testibus literis Johannis ab Ulmis Oxonia Tigurum missis, EDUARDO Regi, alteri futuro, si fata permisissent, Josiæ Sermonum suorum Decadem tertiam & quartam dedicavit, & de veris causis felicitatis & infelicitatis Regum & Regnorum fideliter ipsum instruxit. Quantopere in delicijs Regi religiosissimo illud munus fuerit, possem, si necessitas postularet, Richardi Coxi Cancellarij tum Oxoniensis, & postmodum facti Episcopi Eliensis, Burcheri, Johannis Checi Regij Præceptoris, & Micronij testimonijs, quæ MS. apud nos custodiantur, demonstrare. Eodem tempore plerique Bullingeri libri Johannis Dudleyi VVarvvizensis Comitibus Anglicum in idioma conversi: liber verò ejusdem de conjugio à Johanna Graja Græcè factus, & Parenti strenuè loco donatus est. Inscripterat etiam HENRICO GRAIIO, Marchioni Docestriæ, Regio sanguine creto, tanquam strenuo veræ pietatis assertori, mense Martio Anni 1551. Sermonum suorum Decadem quintam & sextam. Inter alia ibi extat celestima ad laudatissimum Ducem his verbis: *Dominus mentem dedit Tibi, ut intelligas, magnum quidem meritò videri beneficium, Regia satum esse profapia, sed longè majus præstantiusque esse, appellari ac revera esse Dei filium, & Christi Jesu Filii Dei cohæredem. Hanc nobilitatem summam cùm per gratiam Dei sis consecutus, vide ut eam sedulo pietatis studio retineas in finem usque. Vide ut ea fide, quam Regi æterna gloria servas, etiam Serenissima Regia Majestati, totique Regno Angliæ dulcissima patria tua fidelis esse pergas.* Quàm altè hæc in pectus ejus descenderrint, exitus postea ejus, constantissimumque martyrium docuit. DUX, verba sunt Johannis Banchi Londino 15. Martij An. 1554. ad Bullingerum perscripta, quantum temporis potuit à Regni negotijs, quibus implicatus erat, suffurari, tantum in-

PRÆFATIO.

sacris libris posuit, in primis que in legendis Tuis, cuius se lactea eloquentia mirifice delectari solitus est dicere. Ex qua quidem lectione maximam cepit utilitatem, tum cum in carcere immanes quaedam belluæ, ut à fide & confessione veri Christi avocarent, eum sunt adortæ. Sed movere eum nullo modo potuerunt. Ad extremum enim halitum usque Christum Dominum est confessus, &c. Caterum ipsa etiam Johanna Graja Religiosissima & doctissima Principalis Virgo, vix dum completo anno ætatis suæ decimo quarto, ad Bullingerum d. 10. Idus Julij Anno 1551. nitidissimas & tersissimas literas Latino idiomate scribere dignata est. Dignissimas eas GRAIÆ literas existimo, quæ ab oblivione vindicentur, & ætatem ad eò ferant. Ita autem δια ε' ε' ηδ' ην habent: *Immortales Tibi ago gratias, agamque dum vivam, Vir doctissime. Nam relaturam me affirmare non possum. Tantis enim Tuis officijs non videor mihi respondere posse, nisi forte ita sensurus, ut me referre gratiam putes, cum memoria tenebo. Neque immerito. Accepi enim à Te literas gravissimè & discretissimè scriptas, quæ quidem mihi gratissima erant, tum quòd rebus gravioribus omissis ad me, quæ tam eruditi viri literis indigna sum, scribere è tam longinqua regione hac Tua ingravescente atate dignatus es: tum etiam quòd ejus generis Tua scripta sunt, ut non vulgaria quedam ad delectandum, sed pia & divina ad docendum, monendum & consulendum, ea præferim, quæ & meæ atati & sexui, & familia nostra dignitati in primis conveniunt, continere videantur, in quibus ut in alijs omnibus, quæ in summam Reipubl. Christianæ utilitatem edidisti, non solum Te exquisitè doctum, & singulari eruditione præditum ostendisti, sed etiam ingeniosum, prudentem & pium consiliarium, qui nihil sapias nisi bona, nihil sentis nisi Divina, nihil jubes nisi utilia, & nihil paris nisi honesta, pia & tam observando Patre digna. O me felicissimam, cui tatis contigit amicus & prudens consiliarius, nam Salomon habet, תשועה ברב יועץ (Prov. XXVI. 6.) quæq; jam cum homine tam docto, Theologo tam pio, & vera religionis acerrimo δευαχ' necessitudinis & amicitia jure conjuncta sum, multis de nominibus Deo Opt. Max. me debere puto, & in primis quòd postquam me pio Bucero, viro doctissimo & Patre sanctissimo orbasset, qui dies noctesque πὸς καὶ καὶ non destitit mihi, quæ ad vitam instituendam & formandam necessaria essent, suppeditare: quicquid meum in omni probitate, pietate & literarum scientia cursum & progressus provehebat, & suis optimis consilijs adhibitis incitabat. Te, Vir colendissime, ejus loco mihi concessit, qui, ut spero, mihi tardanti & moram trahenti calcaria, ut cæpisti, addere volueris. Nihil enim mihi optatius evenire aut accidere potest, quàm ut digna huiusmodi clarissimorum virorum, quorum virtutum nullus satis esse possit præco, literis saluberrimis que consilijs ducar, utque idem mihi contingat, quòd vel Blessille, Paulæ & Eustochia, quas divus ille, ut fertur, Hieronymus instituit, & suis concionibus habitis ad divinarum rerum cognitionem perduxit, vel quòd mulieri illi atate confecta, cui divus Johannes Epistolium quoddam hortatorium & verè Theologicum conscripsit, vel quòd Severi marri, quæ Origenis consilio usa est, pijsque monitis acquievit, quæ omnes non tantum sibi laudis & commodi ex corporis forma, generis nobilitate, & divitiarum copia comparantur, quantum gloriæ & felicitatis ex prudentissimorum virorum consilijs hausserunt, eò quòd non dedignabantur homines illi, tam singulari eruditione & admirabili pietate conspicui eas quasi manu ad optima quæque ducere, & quæ ad salutem æternam & futura vitæ felicitatem maximum haberent momentum, suggerere. Quòd ut Tu mihi facere digneris, cum nec ingenio, nec eruditione, nec pietate infimus inter eos omnes haberi debeas, iterum atque iterum à Te peto. Audacula Tibi videar oportet, quæ tam audacter hoc effragiro. Sed si consilijs mei rationem respicere volueris, nempe quòd ex pietatis Tuæ penu ea depromere cupiam, quæ*

cum

P R Æ F A T I O.

cum ad mores formandos, tum ad fidem in Christo Servatore conservandam conducere queant: hoc quod facio, mihi vitio vertere nec pro Tua humanitate poteris, nec pro Tua prudentia volueris. Ex libello vera & non fucata religionis pleno, quem nuper ad Patrem & me misisti, tanquam ex horto amœnissimo suavissimos flores colligo. Et Pater etiam, dum per gravissima negotia licet, in eius lectione sedulo versatur. Quem autem inde uterque reportabimus fructum, de eo Tibi & Deo propter Te immortales gratias agere debemus. Non enim æquum esse putamus, ut per Te Tuique similes, quos non paucos hæc in parte felicissima parit Germania, à Deo O. M. tot tantaque verè Divina dona ingratis accipiamus animis. Solemus enim hominibus, ut par est, beneficijs beneficia compensare, & donorum collatorum memores nos præstare. Quanto magis operam navare debemus Divina bonitati, si non ex omni parte respondere, & saltem latis animis que conferi amplecti, & ex animo pro illis gratias agere. Nunc ad laudes, quas mihi tribuunt, Tua litera veniam, quas ut nec vendicare, ita nullo modo agnoscere debeo. Sed quicquid mihi Divina bonitas largita est, id omne acceptum illi refero, tanquam mearum rerum omnium, qua virtutis aliquam speciem habent, authori summo & soli, quem nomine meo roges velim, Ornatisime Vir, assiduis Tuis precibus, ut me in hac parte meæque rationes omnes ita moderetur, ut tanta eius benignitate non indigna reperiar. In animum induxerat. Illustrissimus Pater meus ad Tuam humanitatem scribere, ac pariter Tibi gratias agere pro Tuis præclaris susceptis laboribus, & singulari illa humanitate, qua inductus es suo Nomini quinquagesimam Decadem inscribere, ejusque auspicijs in lucem edere, nisi gravissimis Regia Majestatis negotiis in ultimos Britannia fines fuisset avocatus. Sed ubi per publicas occupationes vacabit, quam diligentissimè ad Te scribere se velle affirmat. Postremò Hebraicari jam incipienti mihi, si viam & modum aliquem ostenderit, quem in hoc studiorum cursu maxima cum utilitate debeam, me longem Tibi devinctissimam reddideris. Vale totius Ecclesie Christiana summum decus & ornamentum, & Te diu nobis sueque Ecclesie superstitem servet Deus Optimus Maximus. Tua pietati deditissima JOHANNA GRAIA. Hactenus incomparabilis illa & divina Virgo, gloriosissimaque martyr. Et Bullingeri quidem Decadis V. Henrico Grajo Parenti, ut diximus, inscriptæ Johanna hæc Filia apices omnes non solum diligenter observaverat, verum etiam memoria mandaverat, uti Johannis Banchi in Epistola superius laudata verba habent. Anno 1553. Julio mense Eduardus VI. anno ætatis decimo sexto, Regni septimo, incredibili omnium bonorum dolore, & Ecclesie incomparabili damno, non sine suspitione veneni, de quo multa habent MS. nostra, obiit. Ejus emortualia suspiria tribus ante obitum horis fusa, & à Thoma Werth, Henrico Sidny, Christophoro Salmone, Conclavis Regij Nobilibus, necnon Doctõribus Oveno & Wendy, quos procul abesse Rex opinabatur, excepta & huc transmissa fuerunt: Domine Deus libera me ex hac misera atque calamitosa vita, & inter electos Tuos recipe me. Non tamen mea, sed Tua voluntas, Domine, fiat. Animam meam Tibi commendo. Tu nôsti ô Domine, quam beatus forem, si Tecum essem. Attamen propter electos Tuos, si videbitur, concede mihi vitam & sanitatem, atque fideliter Tibi inserviam. O mi Domine Deus, benedic populo Tuo, hereditatemque Tuam protege. O Domine Deus, saluum fac populum electum Tuum Angliæ. O mi Domine Deus, Regnum hoc à Papa doctrina conserva, confirmaque veritatem Tuam, ut ego & populus meus celebremus nomen Tuum sanctum! Eo vivis exempto versa rerum facies; Johanna Graja Regno destinata & perfidè prodita, sicut ovis ad lanienam ducta; Principum & Epi-

P R Æ F A T I O.

scoporum sanctissimorum sanguis fultus, Papatus Maria Regina urgente, & Cardinale Polo obstetricante, ex orco resuscitatus, aliâque multa tumultuariè & crudeliter gesta sunt. Tum igitur multi viri nobiles, multi etiam doctrinâ clari in Germaniam, ac sequenti etiam anno complures in Helvetiam venerunt, ac Tiguri peculiare collegium instituerunt, Bullingero illos ope consiliòque suo plurimum adjuvante. Gavisum igitur tum est Tigurum magnis gratissimisque hospitibus, quorum amabili presentia sacrata adhuc hospitia, & varia *μνημόσυνα* cum voluptate visimus, videlicet Johanne Parkursto Nordovicensi, Johanne Juello Sarisburiensi, Jacobo Pilkintono Dunelmensi factis postea Episcopis, Roberto Horno, Richardo Chambero, Thoma Levero, Laurentio Humfrido, Thoma Spensero, Michaele Renningero, Thoma Benthamo, Guilielmo Colo, Johanne Checo, Richardo Morisino, Caro, aliisque pluribus, qui postea Elisabetha rerum potiente in integrum restituti, & Reipublicæ Ecclesiæque gubernaculis admoti *Tiguro suo, Dei tugurio*, uti Humfredus & Sampson Anno 1566. in literis suis nuncupavere, faustissima quæque flagrantissimo affectu & optârunt & precati sunt. Possem sequentium annorum commercium utramque inter Ecclesiam frequentissimum, Bullingeri etiam nostri Episcopales controversias in herba suffocaturi, suggesta saluberrima consilia, quæ si, uti poterant, locum invenissent, nunquam eas in angustias & paroxysmos Regnum & in eo Ecclesiæ florentissimæ adductæ fuissent, aliâque ejusmodi plurima nec injucunda nec inutilia scitu, ex copiosissimis Manuscriptorum Anglicanorum Cimelijs depromere. Sed hæc pauca & velut in gustum pro ratione præsentis instituti sufficere posse mihi visa sunt. Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi precor, ut Ecclesiam suam precioso sanguine suo redemptam, hoc cumprimis tempore diris Sathanæ machinationibus *ἔσω καὶ ἔξω* appetitam, potenter defendat, piorum & doctorum Virorum laboribus gratiosè benedicat, & communionis sanctorum hoc cumprimis deplorato tempore a primè necessariæ nexum magis magisque adstringat, ad sacrosancti Nominis sui gloriam, aternamque salutem nostram.



JOHAN-